



**IUSTINIANVS**, Iustini ex sorore nepos, ab auunculo, paulò ante obitum successor instituitur, imperátque anno mūdi 4491. à Christo nato 529. Hic Romani imperij gloriam plurimum ampliavit. Primùm Persas, Belisarij opera, intra suos fines continuit, fudit, fugavit, trans Eufratem abire coëgit: iura imperij toto Oriēti posuit: Belisarium cum victoria redeuntem, & aureo curru triumphantem Iustinianus magno plausu excepit. Inde eodem duce Romam à Gothorum seruitute asseruit: Africa quoque recuperata, Gelimerem, Vandalorum Regem, catenis vinctum Constantinopolim misit Belisarius: triumphus maior Persico fuit. Narsete duce, occupato aliunde Belisario, tãdem Gothos deleuit Iustinian. Leges, fusissimè antea dispersas, opera Triboniani contraxit: Institutionum libros quatuor edidit: Codicem inuulgavit. Maximus sanè princeps, nisi avariciæ, & delirij Eutyichiani reus fuisset. Serici vsus è Persis ad Græcos hoc tempore transit, iam pridè desitus. Moritur morbo, & mente captus, anno ætatis 82. imperij 38. Pom. Læ. Pau. Diaco. lib. 7. & 8. Egna. lib. 2. Eutr. auctus lib. 16. autor est, Iustinianum morte præuentū cum edictum vbique à pietate alienū transmisisset.

**THEODORA** vxor fuit Iustiniani, ex quo matrem Iustinæ suscepit Iustinianus. Hæc fraudem molita est in Syluerium Papam, quem Belisarius falsis testibus conuictum in exilium misit, vbi etiam mortuus est. consulito Eutropium auctum lib. 16.